





31

DECANVS  
 FACVLTATIS IVRIDICÆ 1728, 3  
 ALMÆ AC PERANTIQVÆ VNIVERSITATIS  
 ERFORDIENSIS  
 ERNESTVS TENZELL  
 JCTVS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI-  
 NIS, IVDICII PROVINCIALIS, ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVI-  
 TATIS CONSVL PRIMARIVS,  
 EA QVA PAR EST HVMANITATE  
 OMNIVM ORDINVM AVDIТОRES DECENTER INVITAT  
 AD AVDIENDAM  
 LECTIONEM CVRSORIAM  
*Super L. 27. ff. de Receptis & qui Arbitr. recep.*

HACQVÆ FINITA  
 DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
 DE AVSTREGIS CONVENTIO-  
 NALIBVS GANERBIORVM NO-  
 BILITATIS IMMEDIATÆ,

five  
 Von denen Geschlechts, Erkohenen/

A  
 NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO  
 ELIA FRIDERICO HEITMANN,  
 ERFVRTENS.  
 IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
 HORIS CONSUVETIS HABENDAS  
 ET DVCTV LEGIS IN LECTIONE CVRSORIÆ EXPLICANDÆ

QVÆDAM  
 DE LAVDO

VITÆ CVRRICVLO PRÆMITTIT.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Ita humana laboribus atque ærumnis repleta, & à summo Creatore ad hæcce destinata, infinitas lites, discordias, jurgia, atque dissensus alit, ita ut vix absque disidiis trahi, & ad finem perduci possit; hinc tantam temeritatis notam, quomodo accusatur à Philosophis, incidisse **HOBBSIVM**, ut Bellum omni-

um in omnes pro primo Juris naturalis principio posuerit, non video, hominem enim homini Diabolum, atque lupum esse, communi indigitatur proverbio, imo studium fortunæ, bonis, atque famæ alterius inhiandi, quotidie crescit atque augetur. Quamobrem Legislatores Civiliū officium merito in eo constitit, ut hæc belligerandi cupiditas atque lascivia refrenaretur, & ad amissum Juris reduceretur. Diverso autem modo apud Romanos Jurisdictio exercebatur, aliter in causis civilibus, aliter in criminalibus, quæ vocabatur **meurum Imperium**, conf. *tot. tit. ff. de Jurisdic. ibique HUBERVS §. 4.* à qua hodiernam Jurisdictionum formam in plurimis differe, res ipsa loquitur. vid. *MEV. P. 4. Dec. 98.* Semper tamen via Juris gentium simplicissimæ locus relicta, & arbitrium conservatum est, quod & antehac potentioribus placuisse gentibus, testatur **STRABO Lib. IV. & IX. Histor. Gall.** In Imperio nostro quod Potentiores concernit, illi solent habere Austregas, quæ partim ordinatione Camerali præscriptæ, partim etiam conventionibus magnatum eliguntur, de quibus *Dominus Candidatus noster pluribus in Dissertatione sua* est acturus. Nobis autem hic sermo est de arbitris privatorum, & quomodo Juris Civilis dispositio moribus nostris hæc in parte conformis sit; Extra controversiam est, pacta sicut Juris Naturalis esse, nemo sana ratione præditus ambiget, arbitros quoque compromissarios, quos quilibet sibi pro conventionali constituit Judicem, Juri Naturali quam proxime accedere, & gentium, Rempublicam absque superiore constituentium, Judices esse posse; hinc & a dispositione Juris Civilis vix, nisi quoad quadam formalia, moribus nostris recessum, vid. *STRYCK. V. M. ff. ad. tit. de Recept. & qui Arbitr.* Dan-

Dantur tamen etiam alii arbitri, quos Lex ex necessitate in-  
jungit, quales PONTIFEX delineat in c. 39. X. de Offic. Et pote-  
stare Jud. deleg. jung. L. 16. in f. C. de Judic. imo & quandoque  
ab alterius dispositione dependent, quando videl. constitu-  
untur testamento, aut alio quovis modo, uti non rara pro-  
stare exempla, & de JOHANNE GEORGIO I. Electore Saxon.  
istiusmodi Testamenti speciem refert Dn. LEYSER. Meditat.  
ad ff. Spec. 65. th. 6. ac de GEORGIO Duce Brunswicensi STRYCK.  
de Cautelis Testament. in Append. n. 6. Probe tamen ab arbitris  
arbitratores sunt separandi, utpote qui controversias sibi  
propositas non decidunt, ac dirimunt, sed solum ad amicabi-  
lem compositionem constituuntur. Ex quibus autem hi  
proprie debeant judicari signis, tradit GAIL. Lib. I. Obs. 150. n.  
1. Si Conventio partium ad id tendat, ut certum hominem,  
vel certas eligant personas, quarum decisione illarum lis de-  
beat finiri, causaque decidi, tunc necessario standum est sen-  
tentia ab ipsis lata, sive æquitatem, sive iniquitatem continet,  
quod VLPPIANVS in L. 27. §. 2. de Recept. Et qui arbit. re-  
cep. clarissime indigitat, dicitque, illum, qui tale compromis-  
sum ineat, debere imputare sibi, quod fecerit; Compromis-  
sum autem tale, tam judicem obligat, ad causam sententia sua  
decidendam, quam partes, ut perseverent uti L. 11. §. 1. de Re-  
ceptis traditur, quod tamen quoad partes in Jure admodum  
est relaxatum; si enim statuta pœna in recedentem per com-  
promissum, tunc, sententia nondum lata, recedere, pœna-  
que solutione sese liberare potest pars, si autem pœna nulla  
conventionem in stipulationem deducta, tunc lex recedenti  
aliquam injungit, uti monet PAVLVS in L. 30. in f. ff. de Recept.  
ubi GOTHOFREDVS in not. ad b. l. notat, hanc pœnam imponi  
propter contemtum, quam Legem abrogatam esse tradunt  
CYPRIANVS REGN. Conf. Belg. ad L. 30. b. & GROENEWE-  
GEN de LL. abrogatis ibid. sed absque ullo fundamento, & cœ-  
ca ex superstitione in Praxi non valere testatur CARPZ. P. I.  
Const. I. Def. 16. quanta autem ipsius hac in parte sit authori-  
tas, ipse B. L. optime judicabit. Judex vero arbitrium semel  
coceptum necessario finire debet per L. 3. §. 1. de Recept. nisi ju-  
stam possit allegare causam, cur ab hac recedere velit, uti ex-  
ceptiones hæc, diversis in Legibus tit. de Receptis suppeditan-  
tur. Si sententiam is, in quem compromissum est factum,  
tulit, tunc ab ea recedi non potest, neque ipse potest Arbi-

ter eam corrigere, licet ex errore ita pronuntiaverit, quoniam cum sententia lata, officium ejus desit, *L. 19. in fin. L. 20. ff. § L. 1. C. de Recept. putat tamen SCHILTER Exerc. ad ff. 12. §. 9. declarationem in sententia obscura, hoc ipso arbitro non esse adentam, quod in tantum utique est concedendum, quatenus non implicite declaratoria continet reformatoriam, sed ansam quamplurimam suppeditare solet Advocatis dissolutis, ut nervo rerum gerendarum arbitrum instruant, quo dubiam sententiam, ex qua damnum irreparabile sese reportaturos sentiunt, ex voto declarari faciant, & nonnunquam arbiter eandem circa causæ decisionem malitiam fovere potest, ut eam studio dubiam faciat atque ferat, quo reali declaratione sententiæ partes uti invitentur, nonnunquam ex desperatione causæ, alias decisionem sinistram patientis, cogantur. Sed quæstio gravis est: an hæc decisio arbitri, sive Sententiæ, statim ut publicata est, vires accipiat rei Judicatæ, an vero adhuc à talibus suspendi possit? Equidem ex intentione Juris Romani rem consideraturo, videtur esse conclamatum, quod laudum nullam recipiat appellationem, sed indistincte executioni Judicis loci ordinarii demandandum sit, uti hoc Imp. DIOCLET. & MAXIM. in *L. 1. C. de Recept. placuit, & ex L. 19. §. fin. § L. 27. §. 2. ff. de Recept. apparet, exceptionem tamen suppeditat Imp. JUSTINIANVS in L. 1. C. cod. in ea sententiæ, quæ ex compromisso nudo pacto inito secuta est, quod ea non possit prius vires rei Judicatæ attingere, quam si intra spatium decem dierum ab ea appellatum non sit: sed adeo conclamatum revera non est, cum GAJVS in *L. 9. ff. Qui Satisdare cogantur.* expresse dicat: *Si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo atque ab Judicibus appellare licet, quem videtur interpretari PROCVLVS in L. 76. ff. Pro. Soc. verb. Arbitrorum enim genera sunt duo, unum ejusmodi, ut sive æquum sit sive iniquum, parere debeamus, quod observatur, cum ex compromisso ad arbitrium itum est: alterum ejusmodi, ut ad boni viri arbitrium redigi debeat; & si nominatim persona sit comprehensa, ejus arbitratu fiat, ex quo Ddres putant, GAJVM de ultima specie Arbitrorum à PROCVLO relatorum esse intelligendum. Ast videtur, in tanta Legum collisione apparente, totam rem ad intentionem contrahentium esse dimetiendam; hi si absolute compromiserint, se velle laudo stare, appellacionique & aliis remediis***

mediis Juris renunciaverint, tunc sententia, sive æqua sive iniqua, sit standum, ex mente ULPIANI in *L. 27. ff. de Recept.* si verò de hoc nihil inter partes actum, sed simplex compromissum sit factum, quod hic vel ille hancce decidere debeat causam, & in ea sententiam ferre, tunc potius hic arbiter loco Judicis vel Commissarii ad instantiam partium electi veniat intuendus, à quo secundum sententiam GAJI in *L. 9. ff. qui Saisd. cog.* appellatio sit admittenda; Quemadmodum regulariter & in dubio arbiter etiam semper videtur talis electus, quoniam altera constitutio supponit privationem Juris, quæ nunquam præsumitur, sed & probanda. Confirmant hanc sententiam *L. 11. ff. §. 2. & L. 13. pr. ff. de Recept. Nov. 82. cap. 1.* ubi pœna conventionalis solebat adjici illis, qui sententia arbitri stare recusabant, quæ pœna adjecta involvebat coactionem, & sic luculenta obligatio necessaria erat, imo renuntiatio quadam, quod quis nolit recedere; pacta autem Legem dare contractibus, & secundum hæc, nisi sint illicita judicari contrahentes debere, pervulgati, imo Naturalis Juris est. Miror autem non incongrue, subtilissimum ICTUM LEYSERVM in *Meditat. ad ff. Spec. 65. tb. 3.* eum incidisse errorem, ut putaverit, Leges invicem collidentes, à JVSTINIANO esse conciliatas in *L. 5. C. de Recept.* cum tamen optime notum sit, pactum nudum de Jure Romano nullam habuisse efficaciam, & hoc loco solum, per lapsum temporis eujusdam, decendii nempe, esse convalidatum, quemadmodum contextus Legis satis docet, quod ibi sermo sit de compromisso absque stipulatione inito, solum nudo pacto, hoc ex verbis subscriptionis, aliisque est colligendum conf. STRYCK. V. M. ff. ad tit. de Recept. §. 11. & quos ibi allegat pro sua Sententia GAIL. Lib. 1. Obs. 150. n. 12. SCACC. de Judic. Lib. 2. cap. 2. n. 426. licet Sententia, quam ex tali deducat fundamento, sit æquissima, quod nempe taxatores taxam iniquam constituentes reprobaverint, JCTI Wittebergenfes, hæc enim ex natura compromissi supra deducti potest resolvi; Et in tantum etiam admittendam puto sententiam STRYCKII l. cit. §. 10. Decisum Arbitri ex *L. 2. C. de Rescind. Vendit.* impugnari posse statuentis, alias, licet transactio pactum quoque tacitum contineret de non retractando, tamen hoc loco non, uti in Transactione remedium aliquod est præscriptum, licet sententia STRYCKII æquitati quam maxime conveniat, & Legibus

Imperii, ad quas ipse provocat, corroborata sit. conf. GAIL.  
*Lib. 1. Obs. 149. & 150.* Plura adhuc de Sententia arbitri restarent  
monenda, quod videlicet non ultra petita in libello possit restant  
nuntiari, nec rem tertio, qui non in lite est, quicquam ad judi-  
cari, neque sibi ipsi arbiter favorem ferre sententiam, sed  
faciet id uberius in Lectione quam sibi elegit Curforia

NOBILIS ET CLARISSIMVS DOMINVS

## ELIAS FRIDER. HEITMANN,

Cujus Studia & fata, quousque nobis communicata, ex more  
Almæ ac perantiquæ nostræ Hieranæ sequentibus recen-  
senda. Natus est *Francobusæ*, anno epochæ vulgaris 1685. d. 23.  
Octobr. Patre quidem HENRICO NICOLAO HEITMANN,  
*Erfurtensi, Medico, & ad eadem S. Gregorii hic Erfurti Inspectori,*  
jam Anno 1714. vita defuncto, Matre vero, quam adhuc su-  
perspitem veneratur, MARGARETHA LVCRETIA nata OFFE-  
NEIA, *Francobusana.* Quorum dilectissimorum Parentum  
potissima cura fuit, ne hic ipsorum filius, bona ulla ex parte  
careret educatione, quo sine a primis statim incunabilis ipsum  
non fideli tantum præceptorum, intra privatos parietes in-  
formationi tradiderunt, sed & ad publicam Scholam, Grego-  
rianam nimirum, ablegarunt, ubi sub fidelissima, potissimum  
Dn. VOLCMARI GVILIELMI STENGERI tum temporis  
*videlissimi prædictæ Scholæ Rectoris, jam Facultatis Philosoph. Decani*  
*& Senioris meritissimi,* manu ductione, prima studiorum ty-  
rocinia posuit, inde autem ad Gymnasium nostrum Senato-  
rium promotus, sub Rectore Dn. ZACH. HOGELIO *Histor.*  
*Prof. Publ. Ord. & Correctore* Dn. FÖRSTERO *Philos. Prof. Ex-*  
*traord.* reliquisque Gymnasti t. t. Professoribus meritissimis,  
ulteriores studiorum per aliquot annos progressus fecit, ad  
quæ perficienda tandem numero Civium nostrorum Acade-  
micorum adscriptus, Philosophiæ quidem ejus Encyclopæ-  
diam, quam cursum vulgo vocant, prælaudato Dn. STEN-  
GERO, *Facult. Philos. Decano & modo Seniore Spectatissimo, meritissi-*  
*mo,* magna fidelitate & industria prælegente, Physicæ au-  
tem & Juri Naturæ, duce *Viro Experientissimo* Dn. JO. ANDREA  
FISCHERO *Medic. Doct. jam Consiliario & Archiaro Elect.*  
*Moguntino, Fac. Med. Seniore, Pathol. & Prax. Prof. prim. nec non*  
*Med. Ducal. Isenacens.* in collegio privato, operam dedit. Phi-  
losophiæ junxit studium Medicum ( cui à Parentibus suis  
desti-



destinatus fuerat ) ita quidem ut integrum quam vocant  
cursum Medicum apud prælaudatum Dn. *Consiliar. FISCHER*  
non solum abfolveret, & in Anatomicis & Botanicis præun-  
te Dn. D. EYSELIO *Facult. Med. Assessore & Prof. Publ.* se exer-  
cuerit, strenuam autem imprimis operam Chymia non sine  
profectibus impendit, quam & etiamnum deperit. Nec  
intactam plerisque sicco præterit pede Mathesin, quam vo-  
cant puram, sed paulo post, nimirum anno 1708. Dn. M.  
LEICHNERVM *Philosophum & Mathematicum celeberrimum, Re-*  
*gim. Electoral. Advocat. Ord.* privatissime, ut loqui amant, & dex-  
terime Christ. Sturmii Mathesin Enucleatam explicantem  
audivit, plusque vice simplici, insignem plane usum studii  
Matheseos hujus fundamentalis in cultura ingenii acuendo-  
que intellectu se expertum esse, testatus est. Hinc cum An.  
1700. ad pertractandum etiam studium Juris animum adje-  
cisset, exiguo tempore non penitendos in eodem progressus  
fecit, in Collegiis publicis Viri Magnifici & Consultiff. Dn. D.  
JOH. HENRICI MEIERI, *Consilarii Regim. Electoralis & Facult.*  
*nostræ, imo totius Academiæ Senioris Gravissimi, Decretal. Prof. Publ.*  
*Collegæ mihi æsumatissimi, nec non Prænob. ac Consultiff. Dn. D.*  
*LILIEN, Consil. Regim. & Cod. Prof. Publ.* sedulum se Auditorem  
præbens; privatim autem Prænob. & Consult. Dn. D. REIN-  
HARDT, *Facult. Jurid. Assessorem, Pand. Prof. Publ. Ordin. & Ampl.*  
*Senatus Syndicum, ad Schöpferi Synopsis Juris privati com-*  
*mentantem audivit. Postea contigit, ut A. 1712. mensè Januar.*  
*Perillustri ac Generosissimo Dn. GEORG. PHILIPP. L. B.*  
*de BOINEBURG in Lengsfeld &c. Principum & Statuum Circuli*  
*Franconici, summus rei tormentariæ Præfectus &c.* ab ipso efflaga-  
ret, ut filios suos in humanioribus & historicis instrueret,  
cui desiderio per integrum fere quadriennium satisfecit, in-  
simul autem Secretarii munere defunctus, quod ipsi occasio-  
nem suppeditavit, ad praxin Juris exercendam, prælaudato  
*Generosiff. Dn. de BOINEBURG* ipsum ad disceptandas complu-  
res causas litigiosas, in foris non solum immediatæ Nobilita-  
ris Franconia, & nonnullorum Principum Dicasteriis, sed &  
in supremo Tribunali Casareo Imperiali Wetzlariensi, adhi-  
bente, nec privatis quibusdam ad perorandas ipsorum lites  
operam suam denegavit. Quibus omnibus bene gestis, eam  
gratiam tandem inivit, ut An. 1716. vacantis præfecturæ mu-  
nus in Lengsfeld, a Dominis Ganerbiis de BOINEBURG in  
Lengs-

Lengsfeld, Weylar & Gebaur munus ipsi unanimiter demanda-  
retur, cui etiam per integrum fere novennium non sine ac-  
quiescentia Dn. Ganerbiorum praefuit, donec nimirum An-  
1725. educationis suae patriam, Erfordiam nostram, repeteret,  
& matrimonio sibi jungeret, ANNAM SOPHIAM, Beati Dn.  
CASPARIS SELLII olim *Centurionis Civici* viduam &c. Stu-  
diis postea suis non inconueniens esse iudicavit, summos Ju-  
ris ambire honores, atque ostendere quantum proficiat litte-  
rarum cultori honores academicos appetenti, manum Praxi  
admovisse. Quare adiit nostram Facultatem ac modeste petit  
ut ipsum de praestandis Jurium Candidato faciamus certiores,  
cui honesto desiderio obesse nullo modo potuimus, sed po-  
tius transmissimus ipsi textus Juris utriusque elaborandos  
ac de examine subeundo terminum praefiximus. Comparuit  
coram nobis statuto die, hinc per omnia quae Jurium Can-  
ditatis peragenda sunt tentavimus, textusque elaboratos no-  
bis exhiberi curavimus; & approbata digna visa sunt no-  
bis ipsius studia, ut non potuerimus aliter colligere, quam  
ipsum in Jure, & diutina quam sustinuit Praxi, scientiam haud  
vulgarem reportasse, dehinc laudibus dignissimi Jurium Can-  
ditati, unanimi Facultatis consensu, esse insigniendum, hinc &  
publica quando sustinebit specimina, aliis monstraturum spe-  
certa nitimur profectus acquisitos, haud vulgares. Elegit  
autem sibi haece publicandis diem prox. die 29. Maj. ubi primo  
Lectionem Curatoriam ad L. 27. ff. de Recept. & qui Arb. rec. postea-  
que Dissertationem Inauguralem DE AVSTREGIS CON-  
VENTIONALIBVS GANERBIORVM NOBILITATIS IM-  
MEDIATÆ, sive von denen Geschlechts = Erfobynen, publica  
eruditorum censurae subicere paratus est. Quos actus solen-  
nes ut Perillustris Dn. Procancellarius, Magnif. ac Reverendiss.  
Dn. Rector. Admodum Reverendi, Magnifici, Consilissimi,  
Experientissimi, Nobilissimi, Singularem Facultatum Dn.  
Decani, Seniores, Assesores, Professores, Doctores, Licentia-  
ti, Magistri, illique quibus Literatura cura cordique est, hono-  
rifica sua praesentia condecorare, ac florentissima Studioforum  
corona nostra frequenter interesse, dignumque imitatione  
exemplum capere velint, decenter rogantur, atque invitantur,  
sub debita mutuae praestationis promissione. Publ. Sub Si-  
gillo Facult. Jurid. Festo Trinit. die 23. Maji A. MDCCXXXVIII.

(L. S.)

ULB Halle  
005 355 63X

3







31  
DECANVS  
FACVLTATIS IVRIDICÆ 1728,3  
ALMÆ AC PERANTIQVÆ VNIVERSITATIS  
ERFORDIENSIS  
ERNESTVS TENZELL  
I CTVS

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI-  
NIS, IVDICII PROVINCIALIS ERFORDIENSIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVI-  
TATIS CONSVL PRIMARIVS,

EA QVA PAR EST HVMANITATE  
OMNIVM ORDINVM AVDITORES DECENTER INVITAT  
AD AVDIENDAM

LECTIONEM CVRSORIAM

*Super L.27. ff. de Receptis & qui Arbitr. recep.*

HACQVE FINITA

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE AVSTREGIS CONVENTIO-  
NALIBVS GANERBIORVM NO-  
BILITATIS IMMEDIATÆ,

five

Von denen Geschlechts: Erfahrenen/

A

NOBILI ET CLARISSIMO DOMINO

ELIA FRIDERICO HEITMANN,

ERFVRTENS.

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI

HORIS CONSVETIS HABENDAS

ET DVCTV LEGIS IN LECTIONE CVRSORIÆ EXPLICANDÆ

QVÆDAM

DE LAVDO

VITÆ CVRRICVLO PRÆMITTIT.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.